



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio CXX. Argumentum. Referuntur Argumenta ad suadendum Mulieribus, ut modestas Vestes deferant; pectus, humeros, & brachia velata habeant; & ab ornamentis vanis abstineant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO CXIX.

ARGUMENTUM.

Differitur, quot, & quibus causis non sint permit-
tendæ confabulationes, discursus vani, ver-
ba otiosa. aut ridicula in Sacrificiis?

SUMMARIUM.

1. Sacrificia est Sacer locus.
2. In Sacrificia decet silentium sub pena peccati.
3. Religiosus non est, qui non refranat linguam.
4. Multiloquium destruit devotionem.
5. Otiosa etiam verba puniendi in die Judicii.
6. Sapientis est custodire linguam.
7. Sacerdotum est laudare Deum.
8. Aures dua, lingua una cur data hominibus?
9. Tacens raro peccat.
10. Seneca dictum de Tardiloquio.
11. Silentium est preparatio ad Missam.
12. Apostoli monitio ad Stultiloquium vitandum.
13. Sacerdotum vita est eruditio aliorum.
14. Scurrilitates in ore Sacerdotum damnata.
15. Lingua vitia Libri detestantes.

Dixere, Silentium servandum esse in Sacri-
ficia. *Primo*, quia est Locus Sacer Barbo-
sa de Jure Eccl. Univ. lib. 2. cap. 1. num. 16. *Secun-*
do quia, ratione scandali erga Laicos orantes in
Ecclesia, & Sacerdotes se preparantes ad Mis-
sam, confabulationes, discursus vani &c. sunt
peccata mortalia. Niger in addit. ad Ruiz part.
2. reg. 1. quest. 4. Quartus ad Rubric. Missal. part.
2. tit. 1. sect. 1. dub. 6. Tertiò ob hanc rationem,
quia, si Missam celebrare nemo potest, quin non
sit Religiosus, nemo erit Religiosus, teste Divo
Jacobo, Si non refranat Linguam suam, Jac. 1. 26.
Quarò, nam pro futuro Sacrificio necessaria est
devotio: sed Multiloquium destruit omnino
devotionem; idè orabat David dicens: Pone
Domine custodiam ori meo, & osium circumstantia
labii mei Psal. 140. 3. Quintò, quia inter cæte-
ra motiva silendi, terribilis est illa sententia Sal-
vatoris, quam quilibet Ecclesiasticus frequenter
considerare deberet; videlicet, Dico autem vobis,
quoniam de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint
homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex
verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis conde-
mnaberis. Matth. 12. 36. Hæc non sunt verba
Doctorum, vel Patrum, sed ipsius Redempto-
ris, & Judicii æterni. Quis non contremiscet?
Sextò: Nam juxta parabolas Salomonis, Homo
sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem, & im-
prudens non servabit tempus. Qui multis utitur ver-
bis, lacerat animam suam. Eccl. 20. 7. Septimò, ut
magis ad obligationem Sacerdotum accedamus,
quia dedecet Sacerdotes, qui quotidie dicunt
ad Deum: Domine labia mea aperies, & os meum
annuntiabit laudem tuam. Psal. 50. 15. os suum
aperire, utridicula, otiosaque verbaproferant.
Octavò, & est pulchra ratio, quia Deus fecit ho-
mini aures duas apertas, unicam autem linguam
dentibus, & labiis clausam; ut esset Omnis homo
velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.
Jac. 1. 9. Nonò ex Auctoritate SS. Patrum; nam
dicebat Divus Ambrosius, Complures vidi loquen-
do in peccatum incidisse: vix quendam tacendo, lib. 1.
Off. cap. 8. Decimò, quia ex gentilibus ipsemet
Seneca aiebat; Tardiloquum te esse jubeo, & propè
erit tibi Deus. Turrecremata tract. 39. in Reg. D.
Bened. At Undecimo, quia nulla major prepara-
tio ad Missam, quàm silentium; juxta illud: 11
Bonum est præstolari cum silentio Salutare Dei. Jer.
Thren. 3. 26. & ratio est; quia, ad Missam di-
gnè celebrandam, necessaria est devotio. At
silentium est fundamentum devotionis: Sedebit
solitarius, & tacebit, quia levavit se (idest in fer-
vore devotionis) super se. Thren. 3. 28. Duode-
cimò, quod est valde considerandum, quia of-
fenditur inexplicabiliter gravitas Sacerdotalis; &
violatur Præceptum Apostoli dicentis: Turpitu-
do, aut Stultiloquium, aut Scurrilitas, quæ ad rem 12
non pertinet, nec nominetur in vobis; sed magis grati-
arum actio. Ephes. 5. 4. Decimò Tertiò ob hanc
politicam rationem, nam alias ipsi Sacerdotes
minimè poterunt hortari populum ad silentium,
& devotionem in Ecclesia, dum, Ministrorum Al-
taris Vita aliorum debet esse eruditio, & continua præ-
dicatio, S. August. serm. 109. de Temp. Decimò
Quarò, ex communi animadversione Majorum,
quia Sancti Patres semper detestati sunt risus,
scurrilitates, & vanos sermones in ore Sacerdo-
tum. Unde S. Hieron. Epist. 8. Ridere, & ride-
ri Sacerdotibus derelinque; gravitas tuam personam de-
cet. Et expressius B. Petr. Damian. lib. 4. Epist.
4. Admonendi sunt, qui Sacris Altaribus ministrare di-
sponunt, ut non modò Cor ab æstuantium passionum igne
custodiant; sed etiam Linguam, quæ inter Deum, &
nos quodammodo mediatrix est, a supervacui levitate
Sermonis compeçant. Ac efficacius S. Anselmus
Meditat. 1. cap. 5. Os tuum os Christi est: non de-
bes, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermo-
nes os aperire, quod ad solas laudes Dei, & ad
adificationem proximi debes parvulum habere. Uti-
nam hæc verba Sacerdotes recogitarent. Deci-
moquintò, tandem, legendos esse perfrequenter
à Sacerdotibus libros tractantes de Vitiis Lin-
guæ, de Virtute modestiæ, & silentii, inter
quos Hieremiæ Drexellii Orbis Phaeton; hoc est,
De Universis Lingua vitiis. Item Alfonfi Rodri-
quez Exercit. Perfect. part. 2. tract. 2. De Mode-
stia, & silentio. Nec non Francisci Pavoni Soc.
Jesu Meditation. 1. 2. part. Medit. 6. Pariter Jo-
sephi Mansi Verum Ecclesiasticum part. 1. lib. 2. cap.
11. Præcipue autem Antonii Molinæ Instructio.
Sacerd. totum quidem Libellum aureum, profici-
uum, & omnino Sacerdotibus necessarium;
noviter recusum Venetiis Anno 1674. typis Pau-
li Balleonii, in quo tract. 4. agitur de Preparatio-
ne faciendâ pro celebratione Missæ: & tract. 6. de
attentione, consideratione, & devotione Sa-
cerdotis in hoc Divino Ministerio.

DECISIO CXX.

ARGUMENTUM.

Referuntur Argumenta ad suadendum Mulie-
ribus, ut modestas Vestes deferant, pectus,
humeros, & brachia velata habeant, & ab
ornamentis vanis abstineant.

SUMMARIUM.

1. Mulierum vanitas naturalis in vestibus.
2. Mulieres suadendæ ad modestiam vestitus argu-
mentis quatuor.
3. Mulieres lascivæ in vestitu peccant mortali-
ter.
4. Scandala ex nuditate pectoris, ac brachiorum mu-
lierum.
5. Nuditas pectoris mulierum quando sit mortale
peccatum?
6. Epist.

6. Episcopi an possint prohibere mulieribus nuditatem pectoris sub Excommunicationis pena?
7. Innocentii XI. Excommunicatio contra mulieres nudato pectore incedentes.
8. Mulierum nudato pectore incedentium pena ex Scriptura Sacra.
9. Angeli custodes offenduntur vestitu mulierum.
10. Meretricibus tantum ab antiquis vestes aurea permissa.
11. Dæmones ludentes super cauda Vestis mulieris.
12. Mulieres ob vanos vestitus à Deo puniuntur.

Docte, ac erudite plurima scripserunt DD. Parochi, ac Confessarii de hoc argumento, quod difficile nimis in praxi nuncuparunt, & jure quidem; adeo enim insita est vanitas vestimentorum, & incessus lascivus, amorque ornamentorum Mulieribus, ut etiam illa vidua Elisæ quamvis pauperrima esset, & omnia consumpsisset, retineret oleum ad unguendum caput, & ornandos capillos: *Non habeo* (inquit) ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar. 4. Reg. 4. 2.

Ceterum pro faciliiori, & breviori compilatione ea, quæ scripta fuerunt argumenta, ad quatuor capita reducuntur; quia Alia sunt Theologica, Alia Juridica, Alia Scripturalia, & Alia Historica pro dictis mulieribus suadendis, ut modestiam servant in Vestibus, pectora, humeros, & brachia non denudent.

Theologica desumuntur ex traditis per Theologos piæ, ac timoratae conscientia, afferentes, & probantes, peccatum esse mortale, si Mulieres contra modestiam, de qua in casu, prævaricentur. Ita Summa Angelica Verb. *Ornatus mtrm.* 3. Pisanell. eod. Verb. num. 3. Rosellanus 13. D. Antoninus in Sum. part. 2. tit. 4. cap. 1. f. 3. P. Albertus de Albertis de Ornatu Mulier. Disp. 2. cap. 1. per totum. Andr. Duallius in 2. 2. D. Thom. tract. de Charitate quest. 15. art. 5. Petr. Marchantius in Tribun. Sacram. tom. 3. tract. 2. tit. 2. quos refert, & Palynodiam canens sequitur Dianapart. 10. tract. 12. & Miscell. 2. resol. 30. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 11. Lessius De Card. Virtut. lib. 4. cap. 4. num. 11. Dicast. lib. 1. Disput. 3. num. 473. Calalich. in Tut. Conscientia cap. 14. num. 1. Ratio potissima est scandalum, & ruina spiritualis proximi proveniens ex nuditate pectoris, humerorum, ac brachiorum mulierum; quia, vix homines iusti continere se possunt, ne carnaliter concupiscant, ut testatur lapsus David. ob Bethsabæ intuitum; ideoque Sanctissimi Patres, & Doctores Ecclesiæ semper contra mulierum immodestos habitus invexerunt; unde S. Ambrosius libr. 1. de Virg. ait: *Mulier ornata est domus omnium Dæmonum infernalium.* Et de earum salvatione videntur desperare tum S. Joan. Chrysost. Homil. 37. in Genes. ubi dicit: *Impossibile est, aliquem agere curam anima, & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornatum: tum S. Cyprian. subdens, Serico; & purpura induta Christum induere non possunt.* Et quamvis plures sint Theologi excusantes di-

4. etas mulieres à mortali; nullus tamen est, qui illas excuset à veniali: imò omnes concordant, culpam mortalem committi, si in vestimentis pretiosis, & nuditate pectoris, humerorum, ac brachiorum, defuit una ex sequentibus conditionibus: 1. Recta intentio, scilicet, ut non ita incedat ex vana gloria, sed ex justa causa. 2.

Ut servetur honestas, quæ non videtur servari posse in ostensione pectoris, ac mamillarum. 3. Ut habitus sit conveniens qualitati personæ. 4. Ut sit ornatus cum parsimonia, & moderatione, non autem cum superfluitate. 5. Ut non insit nimia sollicitudo. 6. Ut ex eo scandalum proximis non proveniat. Hæc omnia latè examinat, & comprobat Summa Angelica d. Verb. *Ornatus*, & ibi Jacobus Ungarellus Patavinus in Additionibus; ex quibus Rectores animarum desumere possunt rationes, & auctoritates ad comprobandam malitiam mulierum, ut supra in casu incedentium.

Juridica Argumenta sumuntur ex ea quaestione, quam tractant Canonistæ, & Juristæ; an scilicet Episcopus possit prohibere, ne mulieres portent pectus, ac mamillas nudatas, & abstineant à Vestimentis vanis sub pœna excommunicationis? In qua concludunt affirmative, tum ratione scandalum, quod facit peccatum mortale, tum ratione contemptus, ut videre est apud Marian. Socin. in cap. *A nobis*, à num. 21. & seqq. de Sent. excommuni. & ibi Ubert. & Joan. Andr. & apud Sum. Sylvestrinam part. 2. Verb. *Ornatus mtrm.* 19. Et hodie de hoc non est amplius dubitandum, stante Edicto Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ Undecimi nuper Romæ publicato, in quo Excommunicationis gladio ferit Mulieres incedentes nudis humeris, pectoribus, ac brachiis; & sic sancivit Sanctitas Sua, post audita Vota Theologorum, & Consultorum, quia talis incessus peccaminosus est, præcipue ratione scandalum, ut diximus supra; & docet Reginaldus in Praxi For. Panit. lib. 14. num. 23. & 24. Quæ igitur mulier, aut Doctorellus audebit profiteri talem ornatum à culpa vacare, cum ipsum gravem culpam, excommunicatione latæ sententiæ dignam Vicarius Christi judicaverit?

Scripturalia argumenta desumuntur ex ipsa Scriptura Sacra, quæ frequenter detestatur ornamenta vana mulierum. Nam Ecclesi. 9. 8. ait: *Averte faciem tuam à muliere compta.* Itaias cap. 3. 24. minatur sequentia supplicia, erit pro suavi odore sator, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fasciâ pectorali cilicium. Et ad ostendendum scandalum, ac ruinam spiritualem proximi ex talibus ornamentis legitur, Prov. 7. 10. *Occurrit illi mulier ornata meretricio parata ad capiendas animas.* Hinc S. Paulus Apostolus mandavit mulieribus velare caput suum Propter Angelos 1. Cor. 11. 10. Nempe ob Angelos Custodes hominum; ipsi enim Sancti Tutelares Angeli offenduntur prædictis ornatibus, ac vanitatibus mulierum, à quibus impugnatur finis custodiæ, idest salvationis æternæ, quam sæpe sapius homines amittunt, illecti, & attracti à mulieribus lascivis in peccata, ut latius docet Velasquez in Epist. ad Philip. cap. 1. Vers. 13. annot. 3.

Historica tandem Argumenta habentur apud Scriptores tum profanos, nam Lacedæmonii & Syracusani non permittebant vanos ornatus, & vestes aureas, nisi Meretricibus, teste Clem. Alex. lib. 2. *Pædagog.* cap. 10. tum apud Sacros, qui enarrant terribiles punitiones à Deo inflictas mulieribus, ornatus vanos affectantibus. Quando quidem S. Vincent. Ferrerius reiert. Dæmones visos fuisse ludere super cauda Ve.

Vestis cuiusdam foeminae, ut legitur apud Epi-
scopum Aresium Imper. 186. num. 16. Et Ma-
rius Mutius in *Vitis SS. Bergom.* narrat, mulie-
rem se ornantem in speculo intuitam quatuor
horribiles spiritus eam eludentes. In libro *Scala*
Caeli, vidit pius homo rete magnum, impediens
animabus ingressum in coelum, illudque orna-
tum mulierum esse audivit. Et apud Joan.
Bapt. Matthiol. in *Sylva Hist. part. 2. lib. 2.*
cap. 1. tit. 2. leguntur exempla plurima Divinae
Vindictae contra mulieres, huiusmodi vanis
ornatibus propensas; quorum recitatione ac
aliorum penes Ecclesiasticos Autores existentium,
facillimum erit Parochis, ac animarum
Rektoribus, mulieres ipsas retrahere ab immo-
destis vestimentis.

In Revelationibus S. Birgittae lib. 9. cap. 15.
refertur iudicium animae mulieris tunc defunctae
coram Deo, ubi legebantur peccata illius, &
inter alia ita de se confitebatur Anima illa: *Va-
na, & superba portamenta ego de novo adveni per-
sonaliter, quadam vero sequebar, secundum Patria
consuetudinem.* Cui ex parte Iudicis responsum
fuit: *Iuris diaboli est retribuere tibi pro meritis,
quia te ornasti, & composuisti, sicut ipse tibi inspi-
rabat, & distabat.*

DECISIO CXXI.

ARGUMENTUM.

Demonstrat haec Decisio, quot rationibus Pa-
rochus timere non debeat incommoda? Sed
eum oporteat incessanter laborare in mini-
sterio suo, procurando spiritualia bona, ac
Salutem animarum sibi creditarum?

SUMMARIUM.

1. Parochi Etymologia.
2. Parochi officium predicare Verbum Dei.
3. Decreta obligantia Parochos ad predicationem.
4. Ars artium Cura Animarum.
5. Duces exercituum vigiles.
6. Parochi sunt plebis suae Medici, Advocati, & Iudices.
7. Vincentii Caraffa Praepositi Generalis Soc. Jesu dictum.
8. Exempla Sanctorum circa salutem animarum.
9. Parochorum desiderium periculum.
10. Ferventium remuneratio.

Plurimae, &que perpulchrae fuerunt adductae
rationes, quarum praecipue sunt decem.

1. Prima ob Etymologiam Vocabuli: nam Pa-
rochus idem est, ac Distributor, quia semper para-
tus esse debet, distribuere plebi suae Sacramen-
ta, ac Verbum Dei. Hierolexicon Magrii Verb.
Parochus.

2. Secunda ob Divinum praecceptum, quo habentes
animarum curam tenentur pascere oves suas
Verbi Dei predicatione. Joan. 21. 18. ibi:
Pasce oves meas. Et Act. 20. 28. ibi: *Attendite
vobis, & universo gregi.* Et habetur in cap. Ephe-
s. 43. dist. & in Concil. Trident. de Reform.
sess. 23. cap. 1. & notat Fagnan. in cap. Inter
cetera num. 7. de Offic. Ordinari.

3. Tertia ob Praecceptum Ecclesiae, quae pluries
decrevit Parochos predicare debere, cap. Quod
Dei timorem, de Statu Monachor. Clem. Dudum.
5. Huiusmodi De Sepultur. Glossa in Clem. 1. Verb.
Officia, De Regular. Concil. Trident. de Ref. sess.
5. cap. 2. & d. sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 4.
Doct. Clericati Tom. 11. Lib. XI.

Quarta ob gravitatem officii, siquidem Cura
animarum est Ars artium, cap. Cum sit, 14. De
atate, & qualitat. ordinan. ad quam Christus
Dominus vocavit Piscatores, tanquam magnis
laboribus assuetos; ut quilibet Parochus sciat se
necessario esse debere laborantem, & sollicitum.
Barbol. de Offic. Paroch. cap. 3. num. 1.

Quinta ob Similitudinem. Rectores enim
animarum sunt Duces earum: At exercituum Du-
ces, dum milites dormiunt, vigilare debent,
exploratores audiendo, pericula praecavendo
& quae expedire reperiunt ordinando, ut de
Duce Parma Farnesio in bello Gallico narrat
Caterin. Davila lib. XI.

Sexta ob Ministerium: Nam Parochi plebium
suarum sunt Medici, Advocati, ac Iudices:
ideo ut talia ministeria utiliter gerant, non fe-
riandum, non dormiendum, sed studendum,
orandum, ac laborandum est; prout testatus
est de se Apostolus dicens (Astor. dist. cap. 21.
num. 31.) Quoniam per triennium nocte, & die
non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque
vestrum.

Septima ob excellentiam animarum, quas
acquisivit Deus sanguine suo, Act. 20. 28. Hinc P.
Vincentius Caraffa Septimus Praepositus
Generalis Societ. JESU dicebat: *Per ben amare i
poveri al paragone de ricchi, si devono mirare le loro
anime addobbate del prezioso Scarlato del Sangue di
Gesum Christo.* P. Daniel. Bartoli in ejus vitalib. 2.
cap. 13.

Octava ob Exemplum tum Sanctorum Apo-
stolorum, Qui viventes in carne plantaverunt Ec-
clesiam sanguine suo, & Calicem Domini biberunt;
tum aliorum Sanctorum, de quibus scriptum
est, *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione;*
ac praecipue Sancti Ignatii Loyolae, qui indefes-
sus lucrandis Deo animis instabat; auditis aliquando
dicere, si optio daretur, malle, se beatitudinis incer-
tum vivere, & interim Deo inservire, & proximo-
rum salutis: quam certum ejusdem gloria statim mori.
Lect. 6. Brev. Rom.

Nona ob imminens periculum damnationis,
cum de Pastoribus negligentibus dixerit Domi-
nus: *Ece ego ipse super Pastores requiram gregem
meum de manu eorum.* Ezech. 34. 10. cap. Dispen-
satio 43. dist. omnino legendum.

Decima ob certitudinem coelestis remunera-
tionis, juxta illud: *Venite ad me omnes, qui labo-
ratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth.
11. 28.

Ex quibus omnibus constat, laborandum esse
a Parochis, neque incommoda timenda, quia
in morte, (teste Divo Gregor. Hom. 9. in E-
vang.) Dominus bene operantes pro apportato lu-
cro remunerat; servum vero a bono opere torpentem
damnat.

DECISIO CXXII

ARGUMENTUM.

Disseritur, quibus rationibus retrahendi sint
per Confessarios filii familias, ac famuli a
furtis domesticis, & a dissipatione rerum suae
domus?

SUMMARIUM.

1. Furta domestica filiorum, ac famulorum sunt peccata.
2. Fures a Deo maledicti, & a Regno caelesti exclusi.

Aa 2

3. Fur-